



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA

*RENATO RAPHAELI S.R.E. CARDINALI MARTINO DATA,
PONTIFICII CONSILII DE IUSTITIA ET PACE PRAESIDI*

Venerabili Fratri Nostro

RENATO RAPHAELI S.R.E. Cardinali MARTINO

Pontificii Consilii de Iustitia et Pace Praesidi

Peculiarem solet catholica Ecclesia cultum praeclaris fidei testibus, martyribus videlicet, tribuere, quos nulla tormentorum vis ad mutandam in proposito mentem adigere potuit. Inter hos est annumerandus procul dubio Sanctus Liberator. Ipse — quemadmodum in quibusdam legimus narrationibus — a sancto Marcello I Pontifice ad Arianensem urbem missus Episcopus, cum ibidem populum christianam doctrinam doceret, a militibus est comprehensus et in carcerem Nolae coniectus. Cum esset se esse christianum confessus, capitis abscissione gloriosa occubuit morte.

Huius Caelitis recolitur millesima septingentesima a martyrio anniversaria memoria, quae in Ecclesia Arianensi Hirpina-Loquedoniensi celebrari iam est coepta die XV mensis Maii anno praeterito, cuius finis circumacto anno feliciter fiet. Ut Ariani primus Episcopus isque caelestis totius dioecesis Compatronus condigne reque honorificeretur, complura incepta laudabiliter sunt suscepta, ut commemoratio haec uberes fructus Dei plebi afferret. Franciscalium missionariorum etiam opera tota ecclesialis communitas ad spiritalem renovationem incitatur. Pastoralis actio in iuvenes convertitur ut hodiernis temporibus quisque sua pro parte christianae fidei reddat testificationem. Ecclesiae particularis eiusque Praesulis locus plane perpenditur ipsorumque momentum extollitur. Popularis pietas aequa aestimatione sustinetur, quae inter difficultates, quae annorum decursu nonnullae exstiterunt, firma maneat animosque spiritualiter sustentet.

His profecto consideratis rebus, libentes volentesque postulatis occurrere volumus Venerabilis

Fratris Ioannis D'Alise, Episcopi Arianensis Hirpini-Loquedoniensis, qui, eventus ille quo magnificentius ageretur et annus dioecesis caelesti Compatrono dicatus congruentius die XX mensis Maii completeretur, a Nobis petiit ut eminentem Praesulem, animi Nostri interpretem, mitteremus. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, quem omnino parem iudicamus huic officio sustinendo. Itaque, magnam aestimationem Nostram significantes, te *Missum Extraordinarium* ad illum sacrum ritum agendum renuntiamus et constituimus.

Palam demum benevolentiam Nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus ut caelestis hic Compatronus late proferat pietatem et gentibus illis, quae circa sunt, magis magisque sit radians ipse fidei testis veluti sidus, quo vicissim fideles ipsi ad maiorem usque christianae vitae testificationem incitentur. Salutationem tandem fervidam omnibus transmittas et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris volumus, quae sit superni subsidii firmamentum et animorum renovationis invitamentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MMVI, Pontificatus Nostri primo.

BENEDICTVS PP. XVI

© Copyright 2006 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana